

ceterach : quinetiam acetum ad vim medicamenti deducendam.

Applicari autem debent post euacuationes, potissimum in febribus. Frequenier autem non solum mane & vesperi, sed quando necessitas urget. Administrantur autem cordialia quidem duplicato serico rubro in liquore tepido intincto; sic & hepatica, vel serico, vel luteo duplicato. Toties autem remouere oportet, quoties exiccatum fuerit.

^a vide Orisbas. 9. coll.

23. Aetium tetrab. 1. ser.

3. 6. 172.

De Embrochis^a seu irrigationibus.

CAP. LIV.

QUOD Græcis ἐμβροχον & ἐμβροχια, id Latinis irrigatio & irroratio dicitur. Est autem humoris ex alto in partem aliquam destillatio vel irrigatio; quod ab epithematibus (quæ aliqui male irrigationes dici volunt) differt, quod epithemata parti applicentur: sic etiam à fomentis humidis, humectationem Aetius ^b vocat, quod vel per pannum, vel spongiam in decocto madefactam, parti applicetur: Hæc vero parti ex alto guttatim affundantur.

Materia huius remedii sunt herbæ, flores, radic. semina, quæ in aqua, aut vino, aut lixiuio decoquuntur, ea tamen dosi, vt ad plantar. m. ij. puluer. ʒ. β. liquoris ℥. j. affundatur, & ad mediæ partis absorptionem decoquantur. Quod remedii genus, etsi minus virium habeat, quam cataplasma, tamen vbi commode id applicari non potest, vt in capite, commode embrochis vtimur.

Deinde

^b tetrab. 1. ser. 3. 6. 174.